





787.

1372 39



DISPUTATIO ORDINARIA

De

TRANSACTIONE,

Quam

Divinâ juvante gratiâ,

1605

PRESIDE

MATTHIA GROSIO,

I. V. D & Iuridicæ facultatis

adjuncto,

publicè discutiendam proponit

HELFRICVS VLRICVS HVNNIVS

Marpurgensis.

Habebitur disputatio 7 Junij in Auditorio

Jctorum horis matutinis.

WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

ANNO M. DC. V.



Magnificis, Reverendis, Nobilissimis, & Con-
sultissimis viris,

Illustrissimo Electori Saxon.

CHRISTIANO II.

&c. à Consiliis Dresdæ Ecclesiasticis,
Dominis

POLYCARPO LYSERO S. S. Theologiæ D.
& Ecclesiastæ aulico primario.

MARTINO AICHMANNO
I. V. D.

CHRISTOPHORO à LOS in Pilsnitz.

M. CONRADO BLATTIO,
Concionatori aulico.

Dominis fautoribus, patronis & promotoribus suis
debità observantià colendis,

Dedicat

Respondens.

729

DISPUTATIO
DE
TRANSACTIONE.

T H E S I S I.



Vandoquidē ea, quæ frequentia sunt, difficilia & necessaria, plenius, exactiusq; (momente Jcto) sunt attingenda, idcirco de Transactionum jure, quò nihil jam est frequentius, nihil etiam ferè inter viros doctos magis controversum, in presentia agere libet.

II.

Est autem transactio contractus innominatus, stricti juris, quò inter litigantes res dubia, vel lis incerta, nedum finita, aliquò datò, retentò vel promissò remittitur.

III.

Quod fit aut pacto convento, aut acceptilatione eaq; simplici, aut Aquiliana stipulatione.

IV.

Contractum hunc celebrare possunt omnes, qui alioquin vel naturâ, vel lege contrahere non prohibentur; & quidem tam suo, quàm alieno nomine.

V.

Naturâ prohibentur, qui consensum adhibere nequeunt, quales sunt furiosi, mente capti, infantes, ebrij.

VI.

Lege prohibentur prodigi, impuberes sine tutorum autoritate.

VII.

Item minores puberes, sine curatoribus suis quos habent, transigentes non obligantur. Si verò Curatores non habuerint,

buerint, ex transactione obligantur quidem, verum si laesos se probent, in integrum restituantur.

VIII.

De Vasallo, quatenus sine Domini consensu transigere possit, non usquequaq; expeditum est; nos communio rem secuti, ipsum super feudo, quod possidet, retinendo licite transigere statuimus. De eo vero, quod non possidet, dimitendo, tum demum, cum ejus jura obscura valde sunt, ne aliàs in fraudem Domini, aut agnatorum transactum videatur.

IX.

Tutores & Curatores de rebus immobilibus pupillorum & minorum, sine decreto judicis transigere non posse, expeditum arbitramur.

X.

Patrem autem, de bonis adventitijs filij, non item de bonis castrensibus, vel quasi, transigere posse, statuimus.

XI.

Procuratori quoque, absque speciali mandato transigere, aut pacisci non licet, nisi ei bonorum vel causa administratio liberè sit concessa, quo casu, Domino non solum prodesse, sed etiam nocere transactionem, verius putamus.

XII.

Syndicos denique, ut & administratores civitatum, etiam sine speciali mandato, dummodò nihil fraudulenter, & simulatè agant, licite transigere certum est: cum semper cum libera constituti intelligantur, quantumvis id expressum non sit: et si interim haud inficiemur, tutius fore, etiam his speciale mandatum dari, in ijs, quae illud requirunt.

XIII.

Materia, de qua transigi potest, est omnis res dubia, & lis incerta. Itaq; in omnibus rebus certis aut causis, de quibus lis nulla esse potest, nec transactionem interpositam ullius momenti esse, indubitatum est.

Quò

XIV.

Quò fit, ut, si causa cognita, prolata sententia, eaq. nec appellationis, nec in integrum restitutionis solennitate suspensa fuerit, de iudicato frustra transigatur.

XV.

Pari modo de his controversiis, quæ ex testamento, sive scripto, sive nuncupativo proficiuntur, transigi aliter non posse, quàm inspectis cognitisque verbis testamenti, Jctus respondet.

XVI.

Sed hic questionis est, utrum transigentibus inspectioni & cognitioni verborum testamenti renuntiare fas sit? Quod communiter contra Accursium negant Dd., quorum sententia & nos subscribimus; quamvis de jurata renuntiatione, aliud dicendum videatur.

XVII.

De crimine capitali, sanguinis pœnam non ingerente transigi non posse Jmpp. Dioclet. & Maxim. rescribunt, quorum rescriptum nobile & difficilimũ, cum quatenus de publicis criminibus capitalibus transigere liceat, ex professo decidat, & pleniorera tractationem desideret, peculiari disquisitioni reservamus.

XVIII.

Deinde de alimentis futuris, quavis ultima voluntate relictis, cum hi, quibus ea relictæ essent modico presente contenti, facile ad transigendum pellicerentur, eaq. occasione, contra ultimam defuncti voluntatem, alimenta interciperentur, Senatus auctore Divo Marco, constituit, ne de iisdem transactiones aliter essent ratæ, quàm causâ cum consilio à pretore cognita probataq.

XIX.

Quod ipsum porrò, ad venditionem alimentorum, divisionem & liberationem fundi ad alimenta obligati, atque ad omnem omnino actum alienationis, quò ex parte alimen-

A 3 ta in-



ta intervertuntur, non sine ratione extendendum putamus.

XX.

An ergo nec pacisci de alimentis citra prætoris auctoritatem licebit? Quod, ut alijs placeat, nobis tamen haudquaquam probatur, etiamsi non desint ex hac quoque parte rationes & argumenta satis gravia & ponderosa.

XXI.

Dum autem Senatus ultima voluntatis nominatim mentionem facit, colligimus inde non improbabiler, eo ipso actus viventium excludi, ita ut neque ad donationes inter vivos, neque contractus extendi oratio debeat.

XXII.

Omniem igitur, de alimentis transactionem oratio improbat, quæ fit, nulla præcedente prætoris, præsidisve cognitione: Namque prætoris est cognoscere de causis transigendi, de modo, deque transigentium personis, quò his cognitis, de equitate transactionis statuere valeat.

XXIII.

Causse transigendi justæ, multe sunt, eaque variæ, quarum sequentes præcipuas refert hic Jctus: veluti si alimentarius, & hæres, vel is, à quo alimenta relicta sunt, domicilia habeant procul à se invicem disita: nam eo casu valde incommodum accidet alimentario, propter domiciliorum varietatem ac distantiam, illic percipere alimenta, ubi debentur.

XXIV.

Item si causa aliqua urgeat præsentis pecuniæ, aut plures sint hæredes, qui alimenta debent, & minuatum convenire singulos difficile sit.

XXV.

Ex modo quoque seu quantitate fides transactionis æstimatur, qui pro ætate, & valetudine ejus, qui transigit, arbitrandus

731.
bitrandus est: aliàs enim cum puero, aliàs cum juvene, aliàs cum sene transigi solet.

XXVI.

In contemplatione tandem personarum hæc versantur; ut cognoscat prætor, cuius vita sit alimentarius, quibus moribus præditus, utrum homo sit frugi vitæ, qui aliàs sufficere sibi possit, an segnioris.

XXVII.

Item in persona ejus, à quo alimenta relicta sunt, hæc erunt specienda: in quibus sit facultatibus, cuius propositi, cuius opinionis: tum enim apparebit, numquid circumvenire velit eum, cum quo transigit.

XXVIII.

Atque in hisce omnibus tam necessaria est prætoris cognitio, ut si is de universis, singulisq; non inquisierit, aut modo, à Divo Marco præscripto inquirere neglexerit, nullius momenti sit transactio.

XXIX.

Præterquam si aut palàm utilis fuerit alimentario, aut testator permiserit sine prætore transigere, aut transactionem jure civili invalidam, jurejurando confirmaverit alimentarius.

XXX.

Neque verò hanc, de alimentis cognitionem prætor vicissim alij mandare poterit: cum neq; jurisdictionis ea sit, neq; imperij, sed eidem à lege specialiter concessa.

XXXI.

Notandum hic quoque obiter, transactionem de alimentis, prætoris aut præsidis autoritate factam finitamq;, neque ex causa minoris ætatis, neque beneficio L. 2. C. de rescind. vendit. ullo modo infirmari posse.

XXXII.

Vis & effectus transactionis non minor est quàm rei judicata: ideoq; causæ vel lites transactionibus finitæ, nec imperiali

*imperiali rescripto resuscitari, nec sub pretextu instrumenti
post reperti rescindi debent, nisi ex falsis instrumentis sint
inita.*

XXXIII.

*Eoq̄, pertinet quòd actionem præscriptis verbis, non mi-
nus, quàm ceteri contractus innominati parit, etiam tum,
quando in contractum innominatum, facio ut des incidit.
Quod etsi aliis absurdum, nobis tamen verissimum videtur.*

XXXIV.

*Quin & reo transigenti datur exceptio transactionis,
quâ actorem, veteri actione contra transactionis placita
gentem, repellit. Notantur quoq̄, infamiâ, qui contra jura-
tam transactionem veniunt.*



Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011





SB

VD 17

Retrokonv.,







Farbkarte #13

B.I.G.



1372 39

ORDINARIA
De
CTIONE,
ante gratiã,
ESIDE
A GROSIO,
dicæ facultatis
ncto,
iendam proponit
ERICVS HVNNIVS
burgensis.
io 7 Junij in Auditorio
oris matutinis.
EBERGÆ,
Georgij Mulleri,
M. DC. V.

